

Psalmodum, quae incipit: *David filius iesse cum esset in regno suo quatuor elegit qui psalmos facerent. Id est. Asaph. Eman. Ethan. et Iduthun.* &c. Inter alia *Psalmodum I.* non eguisse Titulo inde probat, quod alioquin ad Christum pertinere ex iis verbis noscatur: *Et aduersus Christum tuum,* quae nequidem in I. sed in II. *Psalmo* leguntur. Succedit *Hieronymi Praefatio*, et Titulus: *Incipiunt Psalmi Numero CL.* At vero hi Codice exempti, ut Monachorum in choro Psalmodiae fortassis inservirent, ipso usu deperiere. Textus Exempli huius a prima manu satis integer etiam quasdam a secunda castigaciones accepit. Cap. II. *Gen. v. 4.* pro: *Istae sunt generationes coeli et terrae,* legitur: *Hic liber generationis &c.*

II.

R. 3 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 171. fol. max. est *Pars posterior* sacrorum *Bibliorum*, ejusdem cum praecedente rationis, nisi quod diversos occupavit Librarios, pertinuitque olim, ut ora ima fol. 1. testatur, ad idem *Neapoli* Monasterium. Initium modo ducit a *Paraboli Salomonis*, quarum Praefatio *Hieronymiana* et Titulus deperiisse videntur. Deperiere vero etiam, ut jam nunc dicam, post fol. 52. cum *Jobi* initio folium unum, post fol. 107. a C. XIX. *Matth.* folia plura, post fol. 114. a C. XVII. *Lucae* folia plura, post fol. 133.

a medio *Epistolae Jacobi* folium unum, post fol. 154. a fine *Epistolae I. ad Corinth.* folia duo, denique post fol. 160. a medio *Epistolae ad Philipp.* folium unum. *Parabolas* porro fol. 7. praevio Capitulum XXXII. Elencho excipit *Ecclesiastes*, fol. 9. p. 2. succedunt *Cantica* vocibus interloquentium pro veteri more distincta, fol. 11. p. 2. praevio XLVII. Capitulum. Elencho *Liber Sapientiae*, fol. 16. p. 2. praemisso suo Prologo et Elencho CVIII. Capitulum. quorum ultimum inscriptum: *Oratio Salomonis* adfuturum est e L. III. *Reg. c. 8.* et II. *Paralip. c. 6.* *Liber Ihesu Filii Syrach.* Tunc demum fol. 31. reditur ad *Paralipomena* instructa *Hieronymi* Prologo. His jungitur *Job*, ut jam dictum, ἀνεφάδος. Fol. 60. post *Hieronymi* Praefationem incipit *Tobias*, fol. 63. p. 2. post ejusdem Praefationem *Judith*, et fol. 68. simili modo *Hester*, singuli absque ulla Textus distinctione. Fol. 73. post *Hieronymi* Praefationem habetur *Liber Ezre*, uterque uno contextu, nulla, nisi ab alia manu in margine, *Neemiae* mentione. Demum praemisso fol. 81. LXIII. Capitulum. Elencho *Liber Machabaeorum I.* et fol. 92. praemisso LVII. Capitulum. Elencho L. II. Testamento veteri finem faciunt. Omnium horum Librorum Tituli, et frequenter etiam Clausulae caractere unciali miniato, initia vero littera speciose picturata maxima gaudent, quod jam in principio monueram, deque *Novo* pariter Testamen-

stamento intelligi velim. Orditur illud fol. 101. ab Epistola Hieronymi ad Damasum, ab ejus generali in Evangelia, et peculiari in Matthaeum Praefatione, quae in Bibliis glossatis prostant. Subeunt eleganter depicti Canones harmonici Eusebii, tum IV. Evangelia, quorum detrimenta jam superius indicata sunt, caractere minori, magis densato, et pallido, minusque ornate, quam quidem reliqua Codicis, exarata. Cum Actibus Apostolorum fol. 119. redit luculenta illa manus, pristinusque ornatus. Praeferunt illi Argumentum, quod incipit: Lucas natione Sirus cuius laus in Evangelio &c. quodque etiam in Bibliis glossatis legitur. In eo Lucas sine crimine in uirginitate permanens dicitur. Elenchus subjectus Capitula LXXVII. censet. Fol. 132. ineunt Epistolae Canonicae Jacobi, Petri, Johannis et Judae, omnes Capitulorum Elenchis, et Argumentis instructae praevio illo Prologo: Non ita ordo est apud grecos qui integre sapiunt &c. qui in Bibliis Glossatis nimis fidenter tribuitur Hieronymo, cujus tamen lacinias in eo agnoscas. Querelae, quas ignotus ejus consarcinator occasione triplicis testimonii Job. I. c. 5. effundit contra infideles translatores, dirigi potius contra librarios aut rudes, aut oscitantes deberent, cujus rei luculentum praebet exemplum vel ipse Codex noster, in quo locus ille sic habet: Quia tres sunt qui testimonium dant in celo. pater uerbum et spiritus sanctus.

Et hii tres unum sunt. Et tres sunt spiritus aqua sanguis et caro et tres unum sunt. quia tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus. aqua et sanguis. et tres unum sunt. Sicut tres sunt. qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. Et tres unum sunt. E quibus verbis ea, quae hic literis rotundis scribuntur, partim erasa, partim inducta sunt. Epistolas Canonicas excipit Apocalypsis fol. 138. Prologo et Indice Capitulorum XLIII. instructa. Prologus incipit: Johannes Apostolus et euangelista a domino christo electus atque dilectus &c. et in Bibliis glossatis perperam Hieronymo datus est. Demum a fol. 144. p. 2. ordiuntur Epistolae Paulinae praeeunte triplici Praefatione. Prima inscribitur: Incipit Argumentum In Epistolam Ad Romanos. Male quidem; omnium enim Epistolarum Argumenta edifferit ignotus Autor, ita auspicatus: Epistole pauli ad romanos causa haec est. Ecclesiam e duobus populis &c. Alterius titulus est: Item Aliud Eiusdem. Et in margine alia manu: Incipit prologus ieronimi presbiteri in epistolas pauli. Initium: Primum queritur quare quemadmodum post euangelia &c. Infra Hieronymi dignitatem, licet et Biblia glossata ei tribuant. Tertiae Rubrum est: Incipit Argumentum solius Epistole ad Romanos. Hanc quoque mox dicta habent Biblia hujusmodi initio: Romani sunt. qui ex Judaeis gentibusque crediderunt &c. Praefationes excipit Capitulorum Elenchus una cum

cum breviculis Argumentis etiam reliquis Epistolis praefixus, quae decumanum hunc *Codicem* terminant.

III.

R. 1045. Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 271. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, literis initiorum partim deauratis, rubro, caeruleoque variatis, cujus possessor fuit a. 1699. *Lemaire de Elcourt auocat du Roy*, ut videtur, *Divione*, est *Pars I.* splendoris Operis Biblici *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Libros Regum*, *Isaiam*, et *Jeremiam* complexa, quibus accedit Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem*, et *Danielis Prophetia* a v. ult. Cap. IX. usque ad finem. Rubrica princeps est: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis Incipit praefatio Sancti ieronimi Presbiteri ad desiderium amicum suum. In pentateucho hoc est in quinque libris Moysi scilicet. Gese. exodo. leuitico. numero. deuteronomio. qui apud hebreos uocantur bresit. belesmoth. uagebra. uagedabir. addabarim.* Sequitur Elenchus *Capitulorum LXXVII. Geneleos.* Similes Elenchi reliquis etiam Libris praemissi sunt ita, ut *Exodus CLX. Leviticus XCI. Numeri LXXIII. Deuteronomium CLVII.* ejusmodi *Capitula* censent. Interim *Capitum* numerus hodie receptus rite notatur in margine, et in Textu magna litera pi-

eta distinguitur. *Josue* quoque Elenchum *Capitulorum XXXIII. Judices* tantum XVIII. *Primus* et *Secundus Regum* conjunctim XCV. praeferunt. Eadem ratio fuerit *Tertio* et *Quarto*, verum, quod dolendum, exciderunt Membranae a L. II. c. 18. v. 18. ad L. III. c. 2. v. 6. *Prophetae* supra dicti nulla *Capitula* praemittunt, sed *Capitibus* nostris in margine censentur. *Threni* nullo proprio Titulo gaudent; *Baruch* deest. Quae *Codicem* terminant, jam sub principium notavi.

IV.

Pars II. constat *Foll. 207.* Expletur Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem* superius inchoata. Dein hoc ordine proceditur: *Ezechielem*, *Daniel* et quidem integer, ut adeo nesciam, quid sibi velit Fragmentum P. I. indicatum, XII. *Prophetae minores* ordine consueto, *Libri Salomonis* adjuncta sub finem ejus *Oratione* excerpta e III. *Reg. c. 8.* et II. *Paralip. c. 6.* *Job*, *Tobias*, qui excidit a c. 8. v. 12. et abstulit secum initium L. I. *Paralipomenon* usque ad c. 6. v. 41. Posthaec: *Incipit liber besdre primus.* Ast Apocryphus est ille, quem *Tertium* compellamus, hoc initio: *Et egit Josias pascha in ierusalem &c.* qui praeterea dictione multum ab *Editis*, cujus vel Versus ult. exemplum esse possit: